



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lilivm Inter Spinæ

Sterre, Jean Chrysostome van der

Antverpiæ, 1627

Cap. XXXII. Quomodo in raptu viderit pulchritudinem creaturarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43032

ximè circa Corpus Dominicum, imò circa ipsum Dominum deuotas & reuerendas excubias celebrantibus? Indignantur nobis proculdubio, indignantur, quoties nos sancta altaria, vana cogitando, negligentius inclinando, Dominum non orando & honrando, viderint pertransire.

CAPVT XXXII.

Quomodo in raptu viderit pulchritudinem creaturarum.

IN quotidianis laborantem tribulationibus seruum suum Dominus mœstorum consolatio, laborantium fortitudo, multiplicibus consolationibus, tum per creaturas suas, tum per semetipsum, confortare decreuit. Et quidem de consolationibus, quas illi per præfatas sacras Virgines ministrauit, paucissima hæc mihi comperta sunt, quæ per hoc scriptum memoriae commendaui: supersunt autem multa

G valde,

valdè, quæ nec mihi comperta, nec scripto commendata sunt. Quomodo verò per notitiam harum creaturarum, quæ oculis sunt subiectæ, & quarum species naturalis spectantium oculis se commendat, (scilicet cæli & siderum,) virum * simplicitatis lætificauerit; volo quidem, sed non valeo explicare. Talis enim res est, quæ nec ab ipsis videntibus & sentientibus valeat explicari ut est; quanto minus ab imperfectè audientibus? Ne tamen nihil dicam; quantum & qualiter potero, explicabo. Cùm quotidianis (ut dictum est) tribulationibus manu Domini tangeretur, & hoc interius responsum à Domino accepisset; SVF-
FICIT TIBI GRATIA MEA : NAM
VIRTVS IN INFIRMITATE PERFI-
CITVR; cœpit frequenter cogitare de præmio quod sperauit; & quid supercælestia delectationis haberent, desiderabat cognoscere, & in Dei sanctuarium introire. His autem meditatio-

* Fortè
deest exi-
mix aut
miræ.

2. Cor. 12.

tationibus occupatum, contigit nocte quadam ad fenestram Sacrificiæ consistere, & ad Orientem respicere: ubi ortum Lunæ & siderum aliquorum, & puritatem firmamenti aliquatenus potuit contemplari. Cumque his omnibus intuendis tota mentis & corporis acie inhæreret; magna creaturarum delectatione, & eas integrè cognoscendi ardore correptus, sic ipsum Creatorem affatus est: Domine, omnium conditor, etsi teipsum, dum in hac habito Babylone, per specu-
1. Cor. 13.
 lum & in ænigmate oportet cognoscere; da mihi tamen tuarum cognitionem creaturarum, per quam ad te ipsum cognoscendum mentis contutus aliquantum perfectius subleuetur. Et dum orans desideransque consistet; ecce, modo mirabili (quem explicare ipse non potuit, sed nec ego) alienatus à se, in alterius scientiæ virum subito translatus est. Posuitque Dominus subito sub eius contutu, ni-

Deus Ios.
SEPHO à
se alienato
pulchritu-
dinem ex-
hibet crea-
turarum.

G 2 miūm

miūm dilatato , qualitatem & quantitatē (quod manifestius pulchritudinem & magnitudinem possumus appellare) firmamenti ac siderum ; & per aliquod tempus eius desiderio satisfecit. A reuerso autem ad se nihil aliud potuius intelligere ; nisi quod in hac cognitione perfecta creaturarum , tam inæstimabili fuisset delectatione refectus , ut nullius lingua hoc aliquatenus explicare valeret . O verè inæstimabilem virum , omni prosequendum laude ! quem Dominus ut filium flagellare ; & , ut amicum vnaminem , secretorum suorum delicijs voluit consolari . An non videtur in hoc facto compar illius incomparabilis Benedicti , sub cuius oculos in momento totus mundus adductus est ? Non contendamus de meritis ; sed in utroque Dominum meritò collaudemus .

CA-